



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum  
theologiae scholasticae tomus ...**

**Rhodes, Georges de**

**Lugduni, 1661**

Sectio Vnica. Existentia & quidditas peccati habitualis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)







Proponuntur rationes dubitandi. Prima

Ratio dubitandi est primò, quia peccatum habituale formaliter consistit in eo quod formaliter expellitur per gratiam, sed si peccatum habituale non est priuatio gratiæ, non tollitur formaliter per gratiam; peccatum enim moraliter manens tollitur potius per actum contritionis, quæ conuersio est ad Deum, cum peccatum habituale sit auersio, ergo peccatum habituale est priuatio gratiæ, minor videtur certa, quia sola priuatio tollitur per gratiam vt formam, sicut lux formaliter expellit tenebras.

Secunda

Secundò, illud solum est peccatum habituale mortale quod est mors animæ, sed sola priuatio gratiæ mors est animæ, nam mors est priuatio vitæ, gratia sola est animæ vita, ergo sola priuatio gratiæ est peccatum habituale.

Tertia

Tertiò peccatum habituale est auersio à Deo vt sine supernaturali, sed non auerit à Deo nisi sit priuatio gratiæ quæ sola est conuersio, ergo peccatum habituale est priuatio gratiæ.

Conclusio prima bipartita.

Dico primò, peccatum habituale nec est habitus vitiosus, vel qualitas aliqua morbida, neque reatus pœnæ, neque priuatio gratiæ, provt orta ex peccato actuali.

Ratio primæ partis de habitu vitioso.

Prima pars de habitu vitioso vix eget probatione, quia in iustificatis manent sæpè habitus vitiosi, cum tamen non sit in illis peccatum, nihil enim damnationis est in iis, qui sunt in Christo Iesu, ergo manifestum est, quod habitus vitiosi non sunt peccatum habituale. Deinde relinquitur ex peccato omissionis macula peccati habitualis, neque tamen per illud imprimitur vllus habitus. Denique per actus naturales posset destrui habitus vitiosus, per quos tamen peccatum habituale non destrueretur, ergo peccatum habituale, aliquid est diuersum ab habitu vitioso. Quod autem excogitant aliqui morbidam qualitatem nullo modo est probabile, quia sublata quacunque qualitate adulter transacto actu reuera est adulter, ergo superuacanea est ad peccatum huiusmodi qualitas.

Ratio secundæ partis de reatu pœnæ.

Secunda pars de reatu pœnæ non est minus euidens, quia sublato peccato habituali manet tamen reatus pœnæ vt definitur in Tridentino, videturque sententia hæc damnata esse in bullis Pij V. & Gregorij XIII. contra Baium, cuius hæc erat propositio, transeunte peccati actu nihil manere præter obligationem pœnæ: neque aliud quidquam in baptismo & penitentia deleri per ministerium sacerdotis. Deinde non est maior ratio cur reatus pœnæ dicatur esse peccatum habituale, quam actuale, si enim adæquate distinguitur ab vno certè non minus distinguitur ab altero debet. Fateor quidem quod dignitas radicalis ad pœnam est peccatum habituale, quia est illud quod demeritoriè me constituit dignum pœna: Sed reatus formalis non potest vllò modo appellari peccatum habituale.

Ratio tertiæ partis de priuatione gratiæ.

Tertia pars de priuatione gratiæ patet, quia peccatum veniale verum est peccatum habituale, neque tamen priuatio est gratiæ, in statu puræ naturæ vera essent peccata habitualia, neque tamen esset priuatio gratiæ debita. Sequitur etiam æqualia esse omnia peccata habitualia, imò non esset in quolibet peccatore nisi vnum peccatum habituale. Denique à Deo non est peccatum habituale, à quo tamen est priuatio gratiæ.

Solutur prima ratio dubitandi.

Ad primam Resp. peccatum habituale quamuis nõ sit priuatio gratiæ, sed peccatum ipsum actuale provt perseverans moraliter, expelli tamen formaliter per gratiam vel immediatè propter oppositionem cum peccato, vel mediatè quia huic entitati gratiæ semper Dei condonatio coniuncta est, quæ inseparabilis est à gratia saltem iuxta potentiam ordinariam, quomodo autem contritio non tollat formaliter perseveran-

tiam illam peccati, satis dictum est alibi; auersio enim habitualis non tollitur formaliter per conuersionem actualem: Absolutè igitur nego quod sola priuatio gratiæ tollatur per gratiam vt formam sicut falsum est quod sola priuatio caloris tollatur per calorem vt formam.

Ad secundam Resp. peccatum habituale mortem esse animæ demeritoriè solum & effectiue, quatenus meretur priuationem gratiæ, non esse autem formaliter mortem animæ, quæ sola est priuatio vitæ supernaturalis.

Ad tertiam Resp. concedendo quod peccatum habituale auerit à Deo vt sine supernaturali, quia priuat hominem iure ad gratiam & gloriam: nego autem quod non possit auertere à Deo vt sine supernaturali, quamuis formaliter non sit priuatio gratiæ.

## S. II.

## An &amp; quomodo peccatum habituale sit peccatum præteritum perseverans moraliter.

Non potest igitur aliud esse macula peccati, quam peccatum actuale præteritum, sed moraliter adhuc perseverans. Verum quid sit moralis illa perseverantia peccati quod iam non est, non vno modo explicari solet. Primò enim aliqui volunt cum Vasque illam esse actum præteritum cum negatione retractationis. Secundò, alij volunt illam esse actum præteritum cum negatione condonationis & condignæ satisfactionis, quam negationem alij volunt esse partem ipsius peccati habitualis, alij connotatum obliquum, alij conditionem necessariam.

Quid sit macula peccati & moralis illius perseverantia.

Ratio autem dubitandi est primò, quia peccatum habituale est aliquid intrinsecè maculans hominem: denominatio ab actu præterito, non est nisi denominatio extrinseca, ergo illa non est peccatum habituale. Similiter peccatum habituale est macula relicta ex peccato actuali, & eius effectus, sed peccatum actuale præteritum non est effectus peccati actus præteriti, ergo illud non est peccatum præteritum.

Prima ratio dubit.

Secundò, si peccatum habituale est peccatum præteritum moraliter manens non potest esse aliud quam actus præteritus manens habitualiter in ratione voluntarij, sed actus quilibet præteritus eo tantum ipso dicitur manere habitualiter in ratione voluntarij quia non retractatur, ergo peccatum habituale non est aliud quam peccatum non retractatum. Minor probari potest in pluribus exemplis, nam v.gr. voluntas facienda sacrum pro defuncto dicitur manere habitualiter, quia non est retractata. Deinde si negatio retractationis non constitueret peccatum habituale, posset sine vlla retractatione tolli totum peccatum habituale, hoc autem implicat, quia voluntarium formaliter non tollitur nisi per inuoluntarium, recessus voluntarius à Deo non tollitur nisi per accessum voluntarium.

Secunda.

Tertiò, si negatio condignæ satisfactionis esset de ratione constitutiua peccati habitualis, sequeretur quod negatio rei impossibilis constitueret peccatum habituale, condigna enim satisfactio puræ creaturæ pro peccato res est impossibilis: conseqens autem absurdum est, quia negatio chimæra non potest constituere peccatum habituale.

Tertia.

Quartò, si peccatum habituale constituitur per negationem condonationis, sequitur quod condonatio peccati habet se ipsam pro obiecto formali & directo, nam obiectum condonationis est peccatum habituale, ergo si negatio condonationis constituit peccatum habituale, & in eo includitur, sequitur quod obiectum condonationis est ipsamet condonatio.

Quarta.

Quintò, negatio condonationis si constituit peccatum

Quinta.



catum habituale, vel est pars illius, & sic aliqua pars peccati est à Deo, & Deus non adæquatè odit totum peccatum, non enim odit negationem condonationis: vel est solum conditio, & sic implicat destrui peccatum habituale, quia verum sit dicere actus ille malus non est præteritus, sed hoc nunquam esse potest verum, quædum enim verum erit dicere actus est præteritus, erit etiam verum quod sit peccatum habituale, cum nihil illud sit quàm actus præteritus.

Conclusio  
secunda  
bipartita.

Dico secundo, peccatum habituale non est peccatum præteritum moraliter perseverans propter negationem retractationis: sed moraliter perseverans propter negationem condonationis, & condignæ satisfactionis.

Probat  
prima pars

Primæ partis ratio est, quia si negatio retractationis esset aliquid requisitum essentialiter ad peccatum habituale sequeretur quod positâ quacunquē retractatione, quæ attritio solum esset, vel actus purè naturalis tolleretur peccatum habituale, hoc autem est contra Fidem, ergo peccatum habituale non constituitur per negationem retractationis. Prob. maior, ideo per te manet moraliter peccatum non retractatum, quia manet in ratione voluntarij, sed positâ retractatione purè naturali, formaliter non manet in ratione voluntarij, ergo positâ quacunquē retractatione formaliter tollitur peccatum. Sicut non manet voluntas sacrificandi positâ voluntate non sacrificandi. Deinde ut aliquid perseveret moraliter non est satis quod perseveret habitualiter, nam votum, matrimonium, & alij contractus, aliquando perseverant habitualiter, & non perseverant moraliter, si v.g. Pontifex dispenset: & contra non perseverant aliquando habitualiter, & tamen perseverant moraliter, si pœniteat te voti, aut matrimonij, cuius tamen non concedatur dispensatio.

Probat  
secunda.

Secundæ partis ratio est, quia nihil aliud est manere peccatum moraliter, quam peccatum actuale in æstimatione prudentum reddere hominem rationaliter Deo exorsum perinde ac si actu illud committeretur: nam simili modo votum, matrimonium, & quilibet contractus manere dicuntur moraliter quando in xtra sensum prudentum æquè obligant, ac si actu fierent, sed peccatum præteritum cum negatione condonationis & condignæ satisfactionis est huiusmodi, ergo peccatum præteritum cum huiusmodi negatione perseverat moraliter: Probat minor, tunc homo rationaliter manet exorsus Deo, quando manet in Deo totum ius quod prius habebat ad odio habendum hominem, sed quædum peccatum præteritum est iunctum cum negatione condonationis aut condignæ satisfactionis, manet in Deo totum ius quod habebat peccato præterito ad habendum odio peccatorem, ergo tandum homo rationaliter manet Deo exorsus, quædum peccatum non est condonatum.

Conclusio  
tertia bi-  
partita.

Dico tertio, peccatum habituale formaliter & in recto non est aliud quàm peccatum præteritum, in obliquo connotans negationem condonationis & condignæ satisfactionis. Hæc autem negatio nec est conditio solum extrinseca peccati habitualis, neque pars in recto illud componens, sed est connotatum inclusum in peccato habituali. Ita docent Suares l. 7. de peccatis c. 20. & 23. Granadus tract. 8. disp. 1. sect. 1. & alij communius.

Prima  
partis ratio

Primo enim quod negatio condonationis non sit conditio solum extrinseca, probatur quia si solum peccatum præteritum esset essentia totalis macula peccati quoties votum esset dicere peccatum esse præteritum, verum esset manere peccatum habituale, nam ubi est totum quod est intrinsece constitutum peccati, necessario est etiam ipsum peccatum: conse-

quens falsum est, nam condonato peccato, verum semper est quod peccatum est præteritum, ergo peccatum præteritum ut sic non est totum quod essentialiter constituit peccatum habituale. Deinde negatio condonationis non potest esse aliquid extrinsecum essentialiter peccati, si ea sublata, & aliis omnibus manentibus essentialiter auferatur peccatum, sed ea sublata totum auferatur peccatum, ergo illa est intrinseca peccato, dum enim auferatur peccatum est necesse ut auferatur aliquid illi essentialiter, sed illa solum negatio auferatur, ergo illa est essentialis huic macula.

Secundo, quod negatio illa non sit pars peccati habitualis, ita illud componens in recto, ut peccatum habituale sit peccatum præteritum, & negatio condonationis. Probat contra Salam, de Lugo, Arriagam, quia illud totum quod est peccatum habituale odio habetur à Deo, & illi displicet, sed negatio illa condonationis non odio habetur à Deo, ergo illa non est peccatum habituale: probatur maior, quia Deus non potest odio habere peccatorem ratione peccati habitualis, nisi odio habeat etiam totam maculam peccati habitualis. Non enim dici potest quod Deus odit hominem ratione solum peccati præteriti. Si enim hoc esset verum Deus odisset etiam hominem quando peccatum præteritum non est amplius peccatum habituale, quod falsum est. Deinde Deus odit perseverantiam moralem illius peccati, sed per te moralis illa perseverantia est negatio condonationis, ergo Deus odit negationem condonationis, quæ tamen sine dubio est bona, & Deus est illius causa, ergo Deus est causa saltem inadæquata peccati habitualis.

Ad primam Resp. verum esse quod peccatum habituale physicè loquendo est extrinsecum peccatori, sed moraliter intrinsecum est, quia secundum æstimationem prudentum eodem modo maculat hominem ac si nunc actu existeret. Deinde peccatum habituale secundum id quod dicit adæquatè tum in recto, tum in obliquo non est effectus peccati, sed dicitur secundum quod inadæquatè dicit & in obliquo, aliquando enim concretum vocari solet effectus ipsius subiecti.

Ad secundam Resp. satis ostensum esse quod peccatum manere moraliter, non est tantum manere habitualiter in ratione voluntarij: Vota enim & contractus sæpè manent moraliter, quamvis sint involuntaria, quomodo autem sine retractatione peccatoris, vel sine mutatione vlla physica, peccatum possit remitti, dictum est in tractatu de pœnitentia, quia quamvis voluntarium actuale tollatur per involuntarium, voluntarium tamen habituale id est permanens moraliter propter negationem condonationis, tollitur formaliter per condonationem. Quod idem dicendum est de recessu habituali.

Ad tertiam Resp. primo quidem condignam satisfactionem pro peccato non esse rem proliis impossibilem & chimericam, si enim humanitas quæ nunc peccat assumeretur postmodum à Verbo, satisfactio eius esset indigna pro peccato præterito. Deinde quamvis chimerica esset illa satisfactio, non esset tamen chimerica negatio satisfactionis condignæ, quæ propterea ingredi potest saltem in obliquo constitutionem peccati.

Ad quartam Respondèbam olim agens de iustificatione peccatoris duplicem esse condonationem, alteram formalem, alteram causalem, formalis est remissio iuris quod Deus habet ad odio habendum peccatorem: causalis est voluntas remittendi hoc ius, peccatum habituale includit in obliquo negationem condonationis formalis, non negatio rem condonationis causalis cuius obiectum est condonatio formalis;

Secundæ  
partis ratio

Ad primam  
rationem  
habituali  
respondens

Ad secundam

Ad tertiam

Ad quartam



## SECTIO I.

*Existētia Peccati Originalis in omnibus  
Adæ posteris.*

malis: cū ergo remittitur peccatum habituale, Deus dicit remitto meum ius quod habeo ad odio habendum peccatorem, vbi patet quod condonatio non est obiectum condonationis: quando autem Deus dicit volo condonare peccatum habituale, tunc condonatio formalis est obiectum condonationis causalis, vbi nullum est inconueniens quando enim Deus remittit reatum culpæ, remittit ius quod habet ad odio habendum peccatorem, quando autem remittit reatum pœnæ, tunc remittit ius quod habet ad illum puniendum.

## DISPUTATIO IV.

*De Peccato Originali.*

S. Thom. quæst. 81. 82. 83. 84.

**A**CTENVS ea dixi omnia quæ spectabant ad peccatum personale tum actuale, tum habituale, nunc ad peccatum illud explicandum deuenio, cuius vici galles nos fecit non voluntatis mala, sed corrupta natura: et transeunte in omnes per successionem proscriptio-  
ne iniquitatis & mortis, vt loquitur Augustinus lib. de peccatorum meritis cap. vlt. Hoc enim verum est peccatum vnicuique innatum & proprium, & tamen pluribus sæculis antiquius ipso peccatore: peccatum originis, origine ipsa prius, imminens omnibus cum ipsa vita vitium: culpa propter quam nemo possit vituperari, quamuis merito possit puniri: vitium inuoluntarium, crimen sine libertate, eò tantum rei quod viuimus.

Differuit de hoc peccato tam mirabiliter, & tam miserabiliter malo accuratissime præter cæteros S. Augustinus in omnibus libris contra Pelagium, præsertim in libris de peccato originali, de peccatorum meritis, de nuptiis & concupiscentia, de baptismo paruulorum, & sex libris contra Iulianum. In quibus toto ingenio pugnans S. Doctor quod fuit in eo mirabile, tota doctrina quæ diuinitus data & diuina fuit aduersus impios certans Catholicam veritatem proposuit de peccato originali, credendam omnibus & tenendam. Quam ego vt ex fontibus eius hauriam triplici capite omnia concludo, prima enim sit existentia & propria quidditas huius peccati. Secundo, causæ præsertim effectiua & subiectiua huius peccati. Tertio, pœnæ tum in hac, tum in altera vita.

## QVÆSTIO I.

*De existentia, & propria quidditate Peccati  
Originalis.*

S. Thom. quæst. 81.

**I**N causa duorum hominum (inquit Augustinus I. de peccato originali c. 2.) quorum per vnum venundati sub peccato, per alterum redimimur a peccato, fides Christiana consistit. Vnde inquirendum diligenter videtur. Prima enim & maxima controuersia est, vtrum in omnibus Adæ posteris detur peccatum aliquod originale, quod nimirum omnes in origine ipsa contrahant. Secundo, quid illud & quale sit.

**C**ertum est primò, nomine peccati (originalis) communiter intelligi apud Catholicos verum & propriè dictum peccatum quod hominem naturali via generationis descendente ab Adamo, ipso suæ originis momento ita inquinat, vt illum reddat inimicum Dei, indignum celesti beatitudine, ac variis huius vitæ calamitatibus obnoxium, sic enim defectum illum & innatam homini labem vocat sapissimè Augustinus pollutionem, auersionem, mortem animæ, immunditiam, peccatum naturæ, sicque lib. 2. de peccatorum meritis cap. 10. Apostolum explicat S. Doctor Ephes. 2. (eramus natura filij ius) quia eo ipso momento quo communem naturam generatione accipimus, peccatum illud incipit esse in nobis.

Certum est secundò ex eodem August. ibidem 2. 3. cap. 6. & 7. quæstionem hanc de radice peccati originalis primò in Ecclesia Dei motam esse à Pelagio, cuius (vt loquitur idem S. Doctor I. de hæres. lib. hæresi 80.) proprius fuit error negare peccatum Originis, vt sic contra gratiam Christi pro naturæ integritate pugnaret. Volebat enim quod peccatum Adæ ipsi soli nocuerit, non generi humano vniuersos infantes nuper natos in isto statu esse, in quo fuit Adam ante præuaricationem, inò addebat insanire illos, qui de Adam per traducem asserunt ad nos venire peccatum: Indèque inferebat quod nobis ad reparandas peccati huius ruinas nulla interna gratia opus sit: puceros baptismo egerè nò vt mudentur à peccato, sed vt assequantur Dei regnum, vt colligitur ex Concil. Mileuit. can. 2. Sequenti sunt eundem errorem multò postea tempore Albanenses, Armeni, Albigenenses apud Armacanum lib. 8. cap. 12. Castro lib. 12. verbo (peccatum) deinde posteriori æuo Anabaptistæ, Zuinglii, Erasmi & Stapulensis similiter delirarunt. In errorem verò extremè oppositum declinarunt Lutherus, Caluinus, Melancthon, & nuperus Augustini deprauator, qui originali peccato tribuunt omnimodam naturæ deprauationem, omnium damnatorum reprobationem, libertatis iacturam, & alia demùm innumera mala.

Ratio autem dubitandi pro Pelagianis multiplex esse potest. Primò enim asserunt quòd nemini vnquàm aliena peccata imputantur saltem quoad culpam, v.g. Ezechiel. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris, anima qua peccauerit ipsa morietur*, quem locum velut causæ suæ tutissimum firmamentum in ore frequenter habebant Pelagiani teste Augustino lib. 6. contra Iulianum & fauere videtur Apostolus, *vnusquisque referet proit gessit in corde suo*. Quomodo enim iuste vis puniri aliquem, pro eo quod non commisit: vt expressè asserit Chryostom. hom. 10. ad Rom. & hom. 39. in 1. ad Corinth. vbi fatetur quidem deriuatas esse in nos pœnas peccati Adæ, non autem ipsum peccatum.

Secundò, ratio ipsa & propria quidditas ac conceptus peccati manifestè pugnare videtur cum hoc peccato, quod si voluntarium non sit & liberum certè peccatum non est, vt fatetur ingenuè Augustinus lib. contra Secundinum Manichæum c. 15. & 16. sed peccatum istud quod vocatur originale, neque voluntarium nobis est, neque aduersatur legi vlli quàm puer obligari possit: vbi autem non est lex quomodo erit præuaricatio. Quod admoneri non potest vt caueatur, imputari non potest, vt puniatur, nunquam autem legislator ad hanc venit amentiam vt præceperit cuiquam noli ita vel ita nasci. Qui verò dicunt peccatum aliena voluntate voluntarium esse, contradic-  
ria

Quid intelligatur proprie nomine peccati originalis.

Explicatū hæresis Pelagij, & aliorum hæreticorum.

Ratio prima dubitandi.

Secunda.